Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

diuulgata infamia, nec audiunt dei miracula. omnesque exhilarantur. omnes congratulantur. Nulla esse poterat titubatio animam factis tam liberam a suppliciis, quoniam cadauer eius erat integrum atque incorruptum, quod tamdiu iacuerat sub aquis. Paratur itaque cum thuribulis et crucibus processio. comitante infinito populo. multipliciter dominum laudantes, et ut a dei genitrice eis mandatum fuerat corpus ad ecclesiam deferunt. et in cimiterii locis honestioribus tumulant. Cantor uero expleta in parte uisionis fide, non dubitat implendum. quod de eo fuerat predictum. Certus itaque de sue mortis instantia. omnium fratrum se pedibus aduoluebat, et ut a matre dei sanctisque omnibus sibi ueniam exorent suppliciter petebat. Et quia nequibat irritum fieri quod mater ueritatis decreuerat, obiit die statuto. Sed ueri simile est prorsus uisum, in morte qua temporaliter est punitus terminum penas eius accepisse, quia tanta penitentia. tante lacrime. tanta suspiria. mortem precesserant. Hic pono finem narrationis, ueniam petens prolixitatis. Sed res coartanda non erat, quia habemus exemplum ruine quam caueamus. dampnationis quam timeamus, liberationem stupenda cui deuocius famulemur. Nemo quidem preter opem beate dei genitricis semperque uirginis Marie piissime domine nostre liberatur ab inferno, sed pre ceteris uidetur miraculis de condempnata anima ista liberatio. Sit ergo laus ei, sit gloria filio eius, cum quo pia regina illa regnat in celo. Amen.

De quodam languido.

Cuiusdam fratris relatione cognoui miraculum quod narro. Referebat enim se hoc audisse a quodam presbitero uenerabili. meritonensis cenobii canonico. Qui idem presbiter hoc in ecclesia gloriose matris domini gestum esse testabatur, dum ille adhuc in seculari habitu positus curam patriarche amministraret. Erat quidam teutonicus genere quidem clarus, sed ab inferiore parte corporis adeo contractus, quod non nisi cruribus tenus se ipsum per terram trahere poterat, qua de re suorum non ferens aspectum. quibus ut solet fieri et oneri erat et despectui. Hac quippe lue fere totum genus humanum infectum est, quod quilibet cari postquam inualitudinem grauem incurrerint sepe in odium ueniunt atque fastidium. Cepit autem homo ille semetipsum cum labore maximo traiciendo diuersa loca sanctorum peragrare, si forte misericors et miserator dominus alicuius sancti meritis sui misereri, seque sanitati restituere dignaretur. Reuelatum est autem ei quod si mare transiret, et in angliam ueniret, absque dubio in ecclesia dei genitricis Marie sanitatem recepturus esset. Qui licet tale iter grauem sibi ualde atque laboriosum fore conspiceret, quem per adipiscenda salute grauissimum plerumque facit subire laborem, quesiuit ut pote id quatenus in angliam ueniret. Sed quo ubi gratiam curationis consecuturus esset, certus locus ei designatus non fuerat, quamquam sibi onerosum fuisset, tamen per diuersorum locorum ecclesias in nomine matris domini constructas, mendicando tamdiu se miserabiliter traiecit, donec in genibus et cruribus carne consumpta ossium nuditas appareret. Tandem miserante deo gressumque illius disponente ad quandam uillam nomine Curtinges in territorio sancti Carmundi regis anglorum et matris seccana deuenit. Quo loco habetur ecclesia in honore superius nominate et semper nominande atque uenerande genitricis dei Marie consecrata. Qua dum quadam die magna populi frequentia repleretur, et inter alios prefatus languidus adesset, sicut semper solebat piissimam Mariam consolatricem merentium et languentium fletibus uocibus interpellat, ut se respiceret. et sanitatem olim promissam sibi acceleraret. Et ecce subito ceperunt nerui contracti se in ordinem suum dirigere, cum tanto sonitu, quatenus circumstantes in stuporem uerterentur. Sicque homo se erigens, rectisque gressibus consistens, miseratricis miserorum suique saluatricis nomen in sua lingua cum magna uociferatione, et lacrimis cum gaudio mixtis acclamabat. Domina sancta Maria. domina sancta Maria. piissima mater Christi, gloriosissima regina celi, gratias ago tue ineffabili pietati. qua super me miserum et peccatorem oculos misericordie aperuisti, meque in tam graui corporis incommodo salutis remedium procurasti. Quis ergo tunc se a laudibus Christi contineret? Quis dulcissimam matrem ipsius ad subueniendum miseris tam promptam ac paratam corde simul et uoce non benediceret? Quedam autem iudea nuper baptizata huic miraculo interfuit, quo uiso plurimum in fide confortata est. fama uero per uicina loca discurrens uiere comitisse ad noticiam peruenit. Que ad se uirum uocans, deique magnalia in ipso collaudans, simulque gloriose matris domini tam pium suffragium ei collatum ex corde uenerans, et pro amore ipsius domine nouis eum uestibus induit, dicens si uellet quod eum in sua curia gratanter retineret. Cui liberalitati pro impenso beneficio gratias referens respondit, quia postquam sanitati restitutus fuerat desiderii sibi fore patriam parentesque reuisere, inter quos ut pote nobilissimus satis honorifice se conuersari posse non ambigebat.

De quadam sanctimoniali